

Iari communis consensus utrobique attestatur. Confer CL.
Dn. Homborgium in disp. Phys. de anima th. 2.

§. 2. Deinde animam in rerum universitate existere ratio quoque perfectionis (animatorum) corporum exigit. Nam cum imperfectiora (inanimata) corpora habeant aliquid, quô sunt id quod sunt , etiam perfectioribus simile quoddam essentiæ constituens principium , quod in animatorum formas longè superet, competere debere nemo ad dubitabit : Imò sacræ literæ testantur hominem factum esse in animam viventem. Extra dubitationis aleam igitur hodie apud omnes positum est , animam existere in rerum universo , per quam plantæ nutriuntur , crescunt & decrescunt, generantque sibi simile, animalia sensu tactu pollent, de loco in locum sese conferunt , aliisque facultatibus sensitivis instruta sunt , homines insuper facultatem intelligendi & volendi habent.

§. 3. Cæterùm anima cum veram aliquam essentiam & positivam entitatem in rerum universitate habeat , ens erit & consequenter vel substantia, vel accidens ; Quod autem non sit accidens ex eo firmiter colligitur, quia non est in alio $\omega\varsigma \tau\alpha\kappa\epsilon\mu\lambda\omega$, quod tamen ad omne accidens necessarium esse ex cap. II. Categ. manifestum est. Inquis : Anima utique est in alio tanquam in subiecto , nempe in ipsa materia , vel potius in corpore organico , ergò erit aliquod accidens (prædicamentale.) Ad hoc respondent quidam negando antecedens , dicentes , ad hoc, ut aliquid sit in alio tanquam in subiecto, non sufficere illud esse in materia , sed etiam requiri ut sit in materiâ determinata per formam h. e. in composito ex materia & forma constante. Verùm nondum omnis difficultas expiravit , cum etiam anima sit in materia per formam determinata v. g. anima $\theta\epsilon\pi\eta\mu\eta$ est in corpore mixto , anima sensitiva in corpore vegetabili , ergò adhuc videtur anima esse aliquod accidens , cum nempe sit in alio $\omega\varsigma \tau\alpha\kappa\epsilon\mu\lambda\omega$. Verùm ad accidens requiritur , ut istud ita sit in alio tanquam in subiecto, ne cum ipso constituantur.